



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Bertulphus Conf. 5. Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

5. Feb. VITÆ SANCTORUM. 89

sibi crucem monstrati voluit, ad eamque velut ad cupedias cursu contendit. Cælo denique in cruce jam propior, oculis totoque corpore gestiente, illuc videbatur evoluturus nisi vincula prohibuissent. Geminus huic ANTONIUS cantu invitavit ad mortem socios, & Davidis verba (*Laudate pueri Dominum*) melior cygnus insonuit. Idem omnium fuit ad cruces currentium certamen, eadem è crucis cathedrâ conciones, una morientium vox Iesum ac Mariam inclamantium, quæ cum à Christianis astantibus redderetur, non potuit jucundior Dei auribus Echo accidere. Victoribus URBANUS VIII. pontifex triumphum decrevit, & beatos pronuntiavit. *Ex Ioan. Hayo.*

An non meritò coronabitur, qui sic certaverit, mundum abiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, & quod gloriosius est, de semetipso triumphans, & crucifigens concupiscentiam prurientem? S. Bernard. serm. i. de Omn. SS.

S. BERTULPHUS CONF.

5. Februarij.

DIVO BERTULPHO vitam dedit Germania, Gallia fidem sanam. Hic & juventæ omnibus ornamentis cultissimus adolescens facile in Comitis Wamberti

F 5

berti

berti amicitiam, tum deinde familiariter denique filium est cooptatus. Mox cum omnia unus administraret, quò rem familiarem auget, non pauca iis, qui cum fœnore olim redderent, miseris dedit. Et profecto quò plura in hos dispensabat foris, hoc amplius domi opes credebant. Neque id Herum Comitum piissimum latebat, sed tamen aure hujus obsidebant obtrectatores, quò etiam hodie in aulis, quidquid accedere pauperibus vident, sibi putant decedere. Et fortè foras prodire ad Nummularios suos BERTULPHUS properabat vino & pane oneratus, cum obuius rogat Herus quid rerum gerat? Aquam, ait ille, & ligna; simul (Superis piam fraudem iuvantibus) pallio revolutò aquam monstrat & ligna. Alio item ostento virtutem BERTULPHI DEUS prodidit. Romà, quò religionis causâ cum conjuge ierat, reducem Comitum exceperat, utque sua famulis fatigatis à viâ quies esset, ipse ad pascua equos egerat, custos id noctis futurus. Verùm cum ingentes cælo imbres ruerent, missus qui BERTULPHUM domum revocaret puer primò, ipse deinde Wambertus evocatus ad miraculum, spectavit miramagnitudinis aquilam supra caput BERTULPHI pendere, & aquas arcere, ponere verò à cælo luculentam faciem ministrari;

5. Feb. VITÆ SANCTORUM. 91
ri; ad quam otiosus scilicet librum nescio quem legabat. Atque ad hoc denique lumen perspicere viri virtutem sese etiam invidia falsa est. *Ex Surio.*

Premittamus thesauros nostros in Cælum; sint vectores pauperes, qui possunt sinu suo, quæ nostra sunt, ad superna portare. Nemo de fraude dubitet bajulorum; tuta est ista transvectio, per quam nostra ad Deum, Deo fidejussore, portantur. S. Pet. Chryl. ser. 7.

S. GELASIUS CONF. 5. Februarij.

GELASIUM habes, sed unà OPI-
LIUM fratrem, pietate ita germanos, ut ex eodem ovo pronatos dicere posses, si non utrumque per nos liceret spectare. Utrumque igitur Placentia genuit, utrumque extulit, hodieque etiam velut lucidissimum cæli sidus, & morbidis propitium suspicit. Et OPI-
LIUM in cælo lucere quid mirum, quando in cælum inter preces oculo, animo abire, imò cum lucem oculorum mors extinxit, radiare tamen visus est? Jam innocentia & reliquarum virtutem choro dum vivit, vitæ austeritate velut munimento quodam cavit. Itaque totos dies jejunos agere, cœnamque à matre submissam rogatoribus in ponte præbere, ipse satis sacrarum literarum lectione pascus cælique delitiis ebrius.
Pari